



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1842

II. Fürst Heinrich von Mecklenburg überläßt der Johanniter Comthurei Mirow die Münzpfenninge in Repente und in einigen andern Dörfern, im Jahre 1303.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54306)

II. Fürst Heinrich von Mecklenburg überläßt der Johanniter Comthurei Mirow die Münzpfenninge in Repente und in einigen andern Dörfern, im Jahre 1303.

Hynricus Dei gratia dominus Magnopolensis omnibus presens scriptum visuris et auditoris effectum in domino salutarem. Facta memorie digna scriptis commendare decreuit prudens antiquitas, ne longinquitate temporis, quod iuste et rationabiliter actum dignoscitur, cuiusquam obliuione uel temeritate contingat in dubium reuocari. Ad noticiam igitur tam presentium, quam futurorum volumus peruenire, quod nos de maturo nostrorum vasallorum consilio et nostra bona voluntate uiris religiosi ac in Christo honorandis, fratribus sacre domus hospitalis Jerosolomitani sancti Johannis baptiste in Myrowe, uniuersos denarios monete, quos in villis predictorum fratrum, scilicet Myrowe, Zirtow, Pezich, Lenst, Vlit, Repent et in III^{or} mansis Starsow, tam denarios monete, quam XXVIII solidos Brandenburgenses de tributo, quod dicitur Thins, percipere annuatim consueuimus, cum nichil aliud iuris uel seruitii, tam minoris, quam maioris, habuimus in villis prenotatis, predictos denarios contulimus et dimisimus possidendos et perpetuis temporibus donamus libere et quiete percipiendos. Verum eciam proprietatem III^{or} mansorum in villa Starsow, quos sibi predicti fratres comparare poterint, contulimus cum omni iure, libertate, utilitate ac amministrazione denariorum monete et Thins, sicut ad nos pertinebat, perpetue possidendam fratribus prenominatis. Vnde iam dicti fratres proprietatem sex mansorum in villa Sozene cum redditibus et omni iure, sicut hactenus habuerunt, ad manus nostras in recompensam integraliter resignarunt. Ne autem in posterum super hoc possit alicuius dubietatis calumpnia suboriri, presentes litteras duximus sigilli nostri munimine roborandas in testimonium veritatis. Huius rei testes sunt: dominus Boffo de Dolla, dominus Wilkinus Sonycken, dominus Conr. Lupus, dominus Fredericus Hafencop, dominus Fredericus Münt aduocatus, dominus Johannes de Plawe, milites; Gludo et frater suus de Wefenberch, Boffo Wadescenkel, Rudolfus de Dolla, Henricus de Sconenhusen, et alii quam plures, tam clerici, quam layci, fide digni. Datum et actum in Stargart, anno domini milesimo trecentesimo tercio, XVIII^o kalend. Septembris.

Nach dem Original des Sonnenburger Ordens-Archives. Vgl. Jahrbücher des Meckl. Vereines II, S. 246.

III. Fürst Heinrich von Mecklenburg bestätigt der Johanniter Comthurei Mirow die Abgabensfreiheit aller ihrer Besitzungen, namentlich auch des Dorfes Repente, im Jahre 1304.

Hynricus Dei gratia dominus Magnopolensis omniibus Christi fidelibus presens scriptum visuris seu auditoris salutem in Domino sempiternam. Facta memorie digna scriptis commendare decreuit antiquitas, ne longinquitate temporis, quod iuste ac rationabiliter actum dignoscitur, cuiusquam obliuione contingat [uel temeritate] in dubium reuocari. Nouerit igitur presens etas fidelium et discat felix successo futurorum, quod prelibati fratres sacre domus hospitalis Jerosolimitani ordinis [sancti] Johannis baptiste de Myrowe omnia bona uillarum seu mansorum eorum, uidelicet Zyrtowe, Peecke, Lenst, Vlethe, Repent et Myrowe, cum omni iure, proprietate et libertate, terris cultis [uel in]cultis, lignis, paludibus, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, piscationibus, pratis et pascuis,